

ajunt, acceptans duellum, non movetur ex puncto honoris, sed ex necessitate conservandæ sustentationis, quam, recusato duello, certò amitteret. Principes autem graviter obligantur ad pravas istas consuetudines extirpandas.

Dices: I. Defensio cuique est licita; ergò potest quis per duellum suum honorem tueri.—II. Statuta ordinis equestris S. Jacobi non admittunt illum, qui provocatus, duellum recusavit.

R. *N. C.* Nam hic non præcessit offensio; ergò nec est justa defensio. Nec juvat stulta opinio improborum duella laudantium, quia contra legem Dei prævalere nequit—*Ad II.* Statuta illa procedunt de timidis, qui fugerunt; non verò de illis, qui duella non acceptant, parati tamen sunt aggressori resistere.

99. Q. II. *Quæ sint pœnæ duellantium?*

R. 1.º De jure civ. si provocans occidit, punitur pœna ordinaria L. Corn. de Sicariis, scilicet gladio: provocatus, si occidit, plerùmque mitius punitur (l. 14. §. 6. ff. de bonis libert.), quia ignoscendum est provocato.

2.º De jure Can. clericus duellans deponitur, seu perpetuò suspenditur ab officio et beneficio; et si alterum occidit, fit irregularis (c. 1. h. t. Can. 8. d. 50.) Si nec mors, nec mutilatio secuta est, poterit Episcopus suspensionem istam relaxare.

3.º Vi Trid. sess. 25. c. 19. de reform., domini temporales concedentes locum securum pro duellis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ: et si talem locum obtineant ab Ecclesia, privantur ejus dominio et jurisdictione: si verò ab alio illum habeant in feudum, hoc revertitur ad dominium directum.—II. Duellantes et eorum patrini incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, proscriptionem suorum bonorum et perpetuam infamiam; et qui in duello occiderit, puniendus est ut homicida: qui verò in ipso conflictu decesserit, privatur sepultura Ecclesiastica, etsi decedat cum signis pœnitentiæ, ut habetur in Rituali Pauli V. tit. de Hæquius—III. Consilium dantes in causa duelli, aut illud suadentes, et spectatores, qui scilicet, ex proposito spectant, approbando et animando duellantes, excommunicationis et perpetuæ maledictionis vinculo tenentur. Quod extendi non debet ad eos, qui fortuitò veniunt ad locum duelli, et ibi aliquantum ex curiositate morantur; vel qui à longè ex fenestris suis aspiciunt, vel qui vadunt ad locum duelli, ut illud impedian. Et hæc sunt pœnæ à Trid. statutæ pro duellis publicis, quas pœnas Greg. XIII. constit. incip. *Ad tollendum* 1582. et Clem. VIII. constit. incip. *Illius vices* 1592. extenderunt ad duella privata ex condicto seu prævio pacto inita, ubi *nulli patrini, sociive ad illa vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullave provocatoria litteræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint.*

4.º Ex his pœnis censuræ, inhabilitates et privationes juris querendi, incurruntur ante sententiam; pœnæ verò privantes jure quasi-to post sententiam declaratoriam criminis, ex communi doctrina de pœnis. Privatio sepulturæ sacræ, si duellum est notorium, incurritur

absque ulla sententia, ut habet usus Ecclesiarum: si verò duellum non sit notorium, opus erit sententia Episcopi.

Si quis in duello lethale vulnus accepit, et deinde extra duelli locum post aliquod tempus decessit, non privatur sepultura sacra; nam non decessit in ipso conflictu, quod requirit Trid. Imò favorabilis est sententia Portelli, de la Croix, Tambur., neque hunc privandum esse sepultura sacra, qui in loco conflictus ante mortem confessus, et sacramentaliter absolutus fuit; nam moraliter censetur extra locum conflictus decedere.—Nec contrarium colligitur ex Rituali Pauli V; quia sacramentaliter confiteri et absolvi plus est, quam edere signa pœnitentiæ.

TITULUS XV.

DE SAGITTARIIS.

100. *Sagittarii* erant, qui olim ex arcubus simul et semel plures sagittas emittebant. *Ballistarii*, qui ex ballistis seu catapultis ejaculabantur xaxa in hostes. Hodie in usu sunt tormenta et mortaria bellica, ex quibus glandes, globi plumbei, ferrei aut lapidei artificiosè emittuntur. Hæc ars tormentaria in bello justo, quod Christiani gerunt adversus infideles vel inter se, licita est; quia nihil refert, quibus armis militetur (Can. 2. *Maximianus* 23. q. 2.) At docere artem istam infideles, vel loco infidelium eam exercere contra fideles, est illicitum et prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (arg. cap. 6. de *Judæis*), et Bullæ Cœnæ, quæ prohibentur instrumenta bellica deferri ad infideles. Si illicitè christiani hac arte utantur, v. g. cum superstitionibus, et venenationi gladium, excommunicandi sunt (c. *h. t.*)

TITULUS XVI.

DE ADULTERIIS ET STUPRO.*

101. A crimine homicidii transiit Compiler ad crimen luxuriæ, cujus species sunt: *Fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, vitium contra naturam, et raptus.* Non

a.—Agitur de hac materia in Trid. sess. 24. c. 8. de *refor. matr.*, et §. 4. *Instit. de publ. judic.*—In *Pandectis lib. 48. tit. 4.*—In *Codice lib. 9. tit. 9. 10. 11. 13.*

tamen omnes istæ species manent intra genus luxuriæ, sed alteri generi miscentur; siquidem adulterium et stuprum justitiæ, incestus pietati et reverentiæ erga sanguine junctos, sacrilegium religioni opponitur. De his delictis in ordine ad forum conscientie plura differunt TT. morales: hic generalia solum explicabo, ut termini intelligantur.

I. Actus luxuriæ alii sunt *perfecti* seu consummati in sua specie, ut fornicatio et ceteri mox relati: alii *imperfecti*, ut delectatio morosa, oscula, tactus, turpiloquia et hujusmodi, quibus perveniri solet ad aliquem actum perfectum luxuriæ.

II. Fornicatio à fornicibus dicitur; quia scorta sub fornicibus prostare solebant: et quamvis latè recipiatur pro quocumque concubitu extra matrimonium, strictè tamen et propriè fornicatio est concubitus voluntarius soluti cum soluta, inter quos matrimonium consistere posset. Prohibetur non tantum jure positivo, sed et naturali, ut patet ex opposita propositione num. 48. ab Innoc XI damnata: nam per se adversatur fini matrimonii, scilicet, rectæ educationi prolis, licèt per accidens unus vel alter rectè educaret prolem fornicariam.

III. *Concubinatus* est, conjunctio seu consuetudo soluti cum soluta citra affectum maritalem, sive fœmina detineatur in eadem, sive in alia domo. Sicut fornicatio, ità multo magis concubinatus contrariatur juri naturali: et quo diuturnior est, eo gravius facit peccatum (*Can. 6. d. 34. et Can. 11. meretrices 32. q. 4.*)—Nec obstat *Can. 4. et 5. d. 34.* ubi permittitur *concubina*; nam hujus nomine sæpè venit vera uxor, quæ ducta est sine pactis dotalibus et solemnitatibus civilibus: sicut Agar, licèt esset vera uxor, tamen dicitur concubina Abrahæ.

IV. *Stuprum* propriè est, illicita virginis defloratio. Si fiat volente et consentiente virgine, non differt specie à simplici fornicatione, neque speciem injustitiæ superaddit. Nam jus defloratæ, utpotè volentis, non læditur, neque jus parentum; quia filia quoad usum sui corporis non subest patriæ potestati. At si concubitus cum virgine aut cum vidua honestè vivente fiat per vim aut fraudem, aut metum injustè incussum, tunc stuprum superaddit speciem injustitiæ, cum graviter lædatur jus, quod fœmina habet in suam pudicitiam; et consequenter circumstantia ista, cum transeat in aliam speciem, necessariò aperienda est in confessione.

V. *Adulterium* est, alieni thori violatio; adeòque præter peccatum luxuriæ, continet speciem injustitiæ ob violatum jus conjugale: et si duo conjugati adulterium committant, est in eo duplex injustitia; si verò conjugatus cum soluta, vel econtrà, adulteret, unam tantum injustiam committunt: ob quòd dici solet adulterium *simplex* seu *unilaterale*, et illud *duplex* seu *bilaterale*: ità de jure Can. *Can. 14. 19. caus. 32. q. 5.*, quamvis de jure civili vir fornicans cum soluta non punitur ut adulter, sed ut stuprator (*l. 34 ff. ad L. Jul. de adulter.*) Porriò species injustitiæ non tollitur per hoc, quod maritus consentiat in adulterium uxoris et econtrà; quia jus conjugale, vi cujus licèt et

justè copula exercetur, non est in potestate conjugum eo sensu, ut illud in alterum transferre, vel ad usum commodare possit in gravem auctoris naturæ injuriam. Oppositam propositionem n. 50. damnavit Innoc. XI.

VI. *Incestus* est, concubitus illicitus inter personas consanguineas vel affines; estque peccatum gravius adulterio, maximè in linea recta (*Can. 2. lex §. cum ergo 33. q. 1.*)—*Sacrilegium* est, concubitus illicitus cum persona voto castitatis, præsertim solemnè obstricta. Et quamvis probabilis sit, votum solemnè castitatis religiosæ specie aut modo intrinseco differre ab alio voto castitatis, tamen ex RR. doctrina probabile est vota ista specie non differre, et consequenter nec sacrilegia eis opposita.—*Vitium contra naturam* est, quo semen humanum contra finem et ordinem naturæ effunditur: cujus tres sunt species. *Mollities* seu simplex pollutio, qua quis se ipsum polluit: *Sodomia* et quidem perfecta, si coeant duæ personæ ejusdem sexus; imperfecta verò, si coeant duæ personæ etiam diversi sexus, sed non servato vase naturali, v. g. utendo vase præpostero, coxendice etc.: *Bestialitas*, quæ est coitus cum bruto quocumque; adeòque non opus est explicare speciem bruti, cum in omnibus eadem turpitudine reluceat. De raptu dicitur *tit. seq.* Sic intellectis nominibus, descendamus ad ea, quæ sunt fori juridici.

102. Q. I. *Quæ sint pœna delicti fornicationis et concubinatus?*

R. 1.º De jure civ. rom. fornicariis et concubinariis nulla pœna statuta est (*l. 13 §. 2. ff. ad L. Jul. de adult. l. 1. ff. de concubin.*), quia tunc ad evitanda majora mala tolerabantur concubinatus.

2.º De jure Can. pœna simplicis fornicationis est arbitraria.

3.º Juxtà Trid. *S. 24. c. 8. de refor. matr.* circa concubinatum observari debent seqq:—I. Concubinarii ter monendi sunt ab Ordinario; et non respicientes, excommunicari; si verò per annum censuras neglexerint, severo processui Ordinarii subijci debent.—II. Concubinæ ab Ordinariis locorum ex officio graviter puniendæ sunt, et extra oppidum vel diæcesim relegandæ. Et cum versemur in materia peccati, constitutio ista locum habet etiam in foro seculari, quod sacros Canones non dedignantur imitari.—De clericis fornicariis et concubinariis vide *lib. 3. tit. 2.*

103. Q. II. *Quæ sint pœna stupri?*

R. 1.º Si agatur criminaliter ex stupro per vim consummato, est pœna capitis seu mortis, præsertim si stuprum illatum sit fœminæ valde honestæ vel puellæ nondum maturæ ante annum duodecim (*l. 1. §. fin. ff. de extraord. crim. Const. crim. Carol. V. art. 119.*) Si verò stuprum sit vi attentatum, sed non consummatum, eo quod fœmina se liberaverit è manibus stupratoris, hodie est pœna arbitraria; ex *cit. Const. Carol.* olim fuit deportatio aut fustigatio. At si virgo spontè consentiens, vel blanditiis et precibus inducta, deflorata est, hodie plerumque est pœna arbitraria, licèt olim stuprator, si honestæ conditionis fuit, punitus fuerit publicatione dimidiæ partis honorum:

si verò vilioris, verberatione et relegatione (§. 4. *Inst. de publ. judic.*) A pœna mortis eximi videtur, qui vi meretricem compressit; Konig.: et à pœnis stupri excusatur, qui virginem veste meretricali indutam defloravit (*arg. lib. 15. §. 15. ff. de inj.*), quia justam ignorantiae causam habet.

2.^o De jure Can. Clericus stuprator deponitur ab officio (*Can. 44. lator. 2. q. 7.*) et dotat puellam defloratam (*c. 1. h. t.*) Hodie, præter dationem dotis, pro qualitate arbitrariè punitur per suspensionem, multam pecuniarum, carcere etiam perpetuo, si vim puellæ intulit; quia carcer perpetuus succedit in pœnam mortis contra laicos statutam.—II. Laicus stuprator tenetur defloratam ducere et dotare; *c. 1. h. t.*, ubi tamen particula conjunctiva ex communi interpretatione intelligitur disjunctivè per *l. 53. sæpè ff. de V. S.*; et quidem, si alternatio ducendi vel dotandi permittitur, electio est stupratoris tanquam debitoris: si verò puella ei nubere nolit, vel ob impedimentum non possit, tenetur eam dotare determinatè: et si non potest dotare, tenetur puellam volentem determinatè ducere; ipsa verò nolente nubere, loco solutionis dotis succedit pœna fustigationis vel detrusionis in monasterium. Pœnæ istæ extra Ecclesiæ Rom. territorium non habent locum in foro seculari, nisi de consuetudine in eo receptæ sint.

Quamvis prudenter ferè ubique locorum prohibeatur, ne ante contractum matrimonium sponsus in una eademque domo cum sponsa habitet, propter periculum evidens copulæ non tamen prohiberi potest sub pœna stupri, sed duntaxat sub pœna arbitrio Ordinarii infligenda, ex Decreto Cong. Conc. relato à Benedicto XIV. lib. XII. de synod. diœcesana cap. VI. num. 3.

3.^o Stuprator in conscientia ante sententiam judicis non tenetur ducere vel dotare defloratam, cui matrimonium non promisit, in seqq. casibus:—I. Si damnum alio modo reparatum est.—II. Si fœmina nullum damnum passa est; quia acquisivit virum ejusdem conditionis, quem virgo accepisset.—III. Si fœmina non fuit seducta, sed sine ulla fraude spontè sciens, volens consensit in sui deflorationem: et probabilius, si tantum precibus et blanditiis inducta est; cum has faciliè, si voluisset, superare potuerit, nisi preces fuissent armatæ à domino, principe aut simili persona, cui fœmina faciliè non potest resistere; nam in priori casu volenti et consentienti nulla facta est injuria; benè verò in hoc posteriori; ergò hic, et non ibi facienda compensatio pro hac injuria.—IV. Si deflorata obligationem ducendi et dotandi remisit, cum juri suo renunciare possit.—V. Si fœmina antea ab alio fuit corrupta, vel aliàs inhonestæ vitæ; quia hic non est propriè stuprum nisi accessisset speciale pactum de dotando vel ducendo. At post sententiam judicis, tenetur stuprator statim dotem præstare, non expectato tempore nuptiarum (*l. un. §. 1. v. sive maritum, C. de raptu virg.*) Tenetur quoque stare compositione vel transactione inita; ut si de certo pretio cum deflorata convenit.

4.^o Stuprator ad nihil tenetur patri defloratæ, si hæc spontè con-

sensit in sui deflorationem, vel obligationem satisfaciendi stupratori remisit; nam filia suæ virginitatis ususque sui corporis est domina, neque in hoc patriæ potestati subditur; neque propterea pater tenetur majorem dotem dare filiæ defloratæ; ergò.

Dices: Stuprum filiæ redundat in patris injuriam; ergò hæc compensanda est per satisfactionem.

R. Injuriam istam non esse pretio æstimabilem, sed ei satisfieri vel petitione veniæ, vel pœna à judice taxata.

104. Q. III. *Quæ sint pœnæ adulterii?*

R. 1.^o Pœnæ civiles sunt: divortium, amissio dotis vel donationis propter nuptias, ut dixi *lib. 4. tit. 20.* Pœnæ verò vindicativæ seu criminales respectu laicorum sunt de jure civili antiquo deportatio vel exilium (*l. 5. ff. de qq. l. 11. ff. ad L. Jul. de adult.*): postea à Constantino M. inducta est pœna gladii, quam Justinianus transtulit in L. Juliam de adult. *l. 30. C. eod.* et §. 4. *Inst. de publ. judic.*, quæ tamen pœna pro fœminis solis immutata est in detrusionem ad monasterium (*Auth. Sed. hodie C. ad L. J. de adulter.*) Hodie pœna gladii alicubi durat, alicubi sublata est; adeoque attendi debent locorum statuta. Alia pœna est infamia (*l. 2. §. 3. ff. de his. qui not. infam.*)—De jure Can. adulteri laici olim excommunicabantur (*c. 6. h. t.*), et fœminæ in monasterium detrudebantur (*c. 19. de convers. conjug.*), quod hodie non est in usu, sed adulteri, dum agitur criminaliter ex adulterio, ad forumulare trahuntur, ibidem solitis pœnis puniendi.

2.^o A pœnis adulterii excusant multæ causæ:—I. Si mulier violenter oppressa sit, et non solo metu inducta (*lib. 13. §. 7. ff. ad L. J. de adult.*)—II. Si ex ignorantia aliquis cognovit alienam, quam cogitavit esse suam.—III. Si adulterium fuit tantum attentatum, et non consummatum; quia conatus proximus regulariter non punitur eadem pœna, qua ipse actus.—IV. Si accusationi adulterii præscriptum sit; nisi judex ex officio procedat et inquirat.—V. Licet à pœna civili divortii et amittendæ dotis excuset per delictum, non tamen à pœna criminali; quia judex utrumque adulterum condignè punire potest ad vindictam publicam.

3.^o Si reus adulterii est clericus, judicari debet à judice Ecclesiastico privativè: et quidem, si convictus est vel confessus, deponitur ab officio et beneficio, et detruditur in monasterium (*Can. 10. si quis. d. 81.*), cui detrusioni hodie successit pœna carceris vel alia arbitraria. Si tantum diffamatus et suspectus sit de adulterio, indicitur ei purgatio Can., in qua deficiens ab officio suspenditur (*c. 5. in fin. h. t.*)—II. Si reus adulterii est laicus, et agitur ad divortium, judicatur ab Ecclesiastico judice privativè; cum causa ista sit spiritualis: at si agatur ad pœnam capitalem, vel per se principaliter ad privationem dotis, judicatur laicus judex, quia causa ista est profana.—III. Qui egit actione criminali ad pœnam legalem, finito hoc judicio, non potest de novo agere actione civili ad divortium, nec econtra (*l. 1. in fin. ff. de injur.*), quia utrumque hoc judicium tendit ad punitionem adulterii: et ideo (*cap. 5.*

de Procur.) actio tendens ad divortium dicitur mixta inter civilem et criminalem: secus si actum sit tantum ad interesse seu iucturam rei familiaris: tunc enim actio criminalis non permittitur (*lib. un. C. quando civil. act.*)

4.^o Ordo in accusando matrimonio servandus est, ut primò admittatur maritus intra 60 dies utiles: deinde pater intra totidem dies, ut ille, jure mariti, iste jure patris accuset: semper tamen maritus præfertur patri, nisi colluderet uxori (*l. 2. §. 8. et l. 9. ff. ad L. J. de adulter.*): lapso termino uterque admittitur jure extranei. Deinde admittuntur frater, patruus et avunculus adulteræ: tandem extranei; sed hi non facillè permittuntur; ne matrimonia calumniis discutiantur (*lib. 30. C. eod.*): quamvis verò mulier, utpotè subdita viro suo, de jure civ. non admittatur ad accusandum adulterium mariti ad pœnam legalem (*l. 1. C. eod.*), admittitur tamen de jure Can. (*Can. fin. 32. q. 5.*); quia hoc jure conjuges non judicantur ad imparia quoad debitum reddendum, quoad divortium et accusationem (Gloss. in *Canon. 4. v. ad imparia 32. q. 1.*) Jus Can. sequitur Carolus V. Const. Crim. ar. 120, ubi uxori accusationem mariti adulteri disertè permittit. Porrò accusantis est probare adulterium, plerumque per præsumptiones violentas: uti est deprehensio nudi cum nuda in eodem lecto (*c. 12. de præsumpt.*), contractus matrimonii post mortem conjugis, si adulteri antea obtenderunt consanguinitatem ad excusandum adulterium (*l. 34. C. ad L. J. de adult.*), monitio suspecti ter à marito in scriptis et præsentibus testibus facta, si ille non cesset conversari cum uxore in loco secreto (*Auth. si quis C. eod.*): minores verò præsumptiones sunt litteræ amatoriaræ, xenia, fuga mulieris, et pernoctatio in domo viri suspecti etc. Si Pater et maritus defecerint in probando, non subiacent pœnæ talionis (*l. 37. §. sed et ff. de minor.*), et si desistant ab accusando sine venia seu non impetrata abolitione, non incidunt in Sctum. Turpillianum, nisi in accusatione mariti et patris manifesta esset calumnia (*l. 14. et 30. ff. et l. 16. C. ad L. J. de adult.*)

105. Q. IV. *Quæ sint pœnæ incestus, sacrilegii et vitii contra naturam?*

R. 1.^o Incestus inter ascendentes et descendentes, fratrem et sororem punitur pœna mortis: inter collaterales verò commissus, subiacet pœnæ arbitrariæ. Pœnas incestuosarum nuptiarum exprimit *Auth. incestuos. C. de incest. nupt.*, de quibus dixi *lib. 4. tit. de consanguinit.* De jure Can. clericus incestuosus deponitur, et beneficio privatur (*arg. Can. 10. 11. d. 81.*) Laicus in incestu perseverans, excommunicatur (*Can. 9. de his. 35. q. 2.*) Vir peccans cum consanguinea suæ uxoris, privatur jure petendi debitum (*c. 1. 3. de eo, qui cognovit.*)

2.^o Fornicatio clerici in sacris constituti, et religiosi professi, licet sit verum sacrilegium, punitur ut simplex fornicatio. At sacrilegium commissum cum moniali, gravius punitur. Nam jure Can. laicus corruptor monialis excommunicatur; clericus privatur beneficio, et depositus ab ordine traditur in monasterium, hodie in carcerem: ipsa

verò monialis se violari passa, vel truditur in arctius monasterium, vel in carcerem (*Can. 6. 11. 25. 28. caus. 27. q. 1.*) De jure civili attentans nuptias cum moniali, pœna mortis plectitur, et ejus bona monasterio applicantur (*l. 5. C. de Episc. et Cler. Nov. 123. c. 43.*): hodie tamen bona delinquentis hæredibus relinqui solent (*Auth. bona C. de bonis proscrip.*) Hæc tamen jura civ. non canonizantur per hoc, quod à Gratiano referantur *Can. 30. loc. cit.*

3.^o Concubitus christiani cum Judæa vel pagana, licet non differat à simplici fornicatione, plerumque tamen gravius punitur ob injuriam christiano nomini illatam: si prætextus conjugii accedat, pœna adulterii coercetur; non tamen capitali (*l. 6. C. de Jud. Clar.*)

4.^o Simplex pollutio, si ad forum externum deducatur, punitur pœna extraordinaria relegationis, fustigationis etc.

5.^o Pœna sodomie perfectæ de jure civili est capitalis, cum confiscatione bonorum et infamia (*l. 31. C. ad L. J. de adult. §. 4. Inst. de publ. Jud. et Nov. 77. c. 1. §. 2.*), quæ pœna exasperari solet, ut sodomitæ vivi, vel eorum cadavera concrementur, sive fuerint agentes, sive patientes. De jure Can. laicus excommunicatur: clericus verò ab officio, beneficio et ordine clericali depositus, detruditur in monasterium: imò per Const. S. Pii V incip. *Horrendum* 1568 die 3 Sept. clerici hoc vitium exercentes, putà non semel, sed pluries, degradari et curiæ seculari tradi debent. Notant tamen DD. hanc Constitutionem non habere locum in foro interno secundum praxim receptam. Si verò sodomia sit imperfecta, videtur substare pœnæ extraordinariæ (*arg. l. 1. in fin. ff. de extraord. crim.*), cum sit minus peccatum specie distinctum.

6.^o Bestialitas punitur instar sodomie, ex Const. Car. V. art. 116, adeoque hujus criminis rei comburuntur unà cum bestia, conformiter *Lev. 20. v. 15.*, ne tam horreni flagitii memoria permaneat, aut renovetur.

Ad hunc tit. reduci potest *lenocinium*, quod est delictum publicum, quo pater liberos, maritus uxorem, vel alius quicumque fæminas exponit prostituendas, vel earum prostitutionem permittit quæstus causa. Punitur hoc delictum in patre et marito pœna gladii (*arg. l. 2. §. 2. et l. 29. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.*): in aliis pœna arbitraria, ut præcisione aurium, fustigatione, exilio, prout qualitas delicti postulat. (Const. Car. V. ar. 123.)

Pœna tutoris pupillæ castitatem violantis est deportatio et confiscatio bonorum (*l. un. C. si quis eam, cujus tutor.*)

Pœna mulieris proprio servo se prostituentis est capitalis, et mulier ista fit intestabilis activè (*l. un. C. de mulierib. quæ se.*)